

R. P. Franciscus Hall (1836-1897)



Franciscus Hall eundem diem natalem habuit ac P. Harbison, Kalendas Decembres, sed diversum annum (1836). Natus est prope Liverpoolium, ergo in Anglia, sed parentibus origine Hibernis; immo in notis illis religionis catholicae persecutionibus duo sacerdotes familiae Hall sanguine effuso veritatem nostrae fidei affirmaverunt.

Franciscus vocationis suae difficultates verbis vividis descripsit. « Ego gratiam vocationis quatuordecim annos natus accepi, et a. 1851 a Patre de Held receptus sum; at necesse erat prius patris consensum obtinere, quem consensum primo sex menses domi inaniter quaerebam; tunc duos annos missus sum ad quoddam collegium Leodiense, meo patre opinante in Belgio non esse Redemptoristas. Studiis humanitatis expletis circa medium a. 1854 domum redii, atque rursus consensu frustra expetito, consentiente conscientiae meae moderatore ad domum Redemptoristarum Bishop Eton profugi; sed patre meo in Congregationem minas spirante coactus sum inde abire. » Tandem pater, cum vidisset Francisci valetudinem declinare, mense Iulio 1855 sivit filium sequi supernam vocationem.

Ab hoc anno usque ad a. 1866 fere nil extraordinarii accidit. Novitius spiritu fervens d. 8 Dec. 1856 vota nuncupavit et a. 1860 ad sacros ordines provectus est.

Brevi post ordinationem Lector S. Scripturae et philosophiae in studentatu electus, infirma semper utebatur valetudine; immo mense Februario 1866 in verum vitae discrimen adductus est. Quomodo benignissima Mater de Perpetuo Succursu d. 2 Mart. 1866 (ergo ante publicam sacrae Iconis expositionem, denuo d. 26 Aprilis Romae inauguratam) eum in instanti sanitati restituerit, videre est in *Analectis* a. 1927, p. 326.

Viribus hoc modo prodigioso instauratis P. Hall vitam missionalem inire iussus est. Statim in prima missione aliquas mulieres perditas ad poenitentiam vocavit, quarum mores tam scelerati erant, ut populus non permetteret eas in urbem intrare, sed cogeret locum saxosum prope urbem inhabitare. A. 1868 domui Limerick adscriptus est, factus Director secundus clarissimae confraternitatis S. Familiae. Ei itaque studiose suum zelum devovebat, ut a. 1870, quo sese hoc munere abdicavit, numerus virorum circa 2000 erat. Hodie numerus est 8 242, pueris 2 240 non computatis. Est autem sodalitatum, quae semel in hebdomade convocantur, omnium toto orbe maxima.

Dicto tempore P. Hall rursus labores ministerii externi assumpsit, praedicans cum eventu felicissimo missiones et in urbibus et ruri, modo in Hibernia, modo in Anglia et Scotia. Inter Hibernos tamen maxime praecellebat, et licet de eo dicere, quod saepe de aliis missionariis, qui ex Anglia ad Hiberniam venerant, dictum est: «Fiebat Hibernior Hibernis ipsis!» Ubique coetus compacti eum praedicantem auscultabant, qui hiemis frigoribus non impediabantur, quominus etiam e longinquo ad eum accurrerent, et tantae multitudines vel in amplissimis ecclesiis vix continebantur. Quamvis diutius loqueretur, tamen populus nunquam fatigabatur; iterum atque iterum audientes animi fervorem gemitibus et exclamationibus et lacrimis exprimebant.

Quidnam erat talis successus secretum? Procul dubio fundamentum erat in ipso praedicatore sanctitas vitae. Splendescabant in moribus eius insignis humilitas, caritas, patientia, amor paene heroicus erga Deum et Beatam Virginem Mariam. Praeterea nominanda sunt insignia dona a Deo accepta. Confrater, nunc quidem vivus, qui Patrem bene noverat, ita se explicat: «In pulpito P. Hall semper in mentem meam evocabat aliquem ex antiquis Prophetis. Macer et asceticus, etiam externo aspectu auctoritatem sibi conciliabat, ac prius quam loqueretur admirationem audientium excitabat. Incipiens loqui videbatur susurrare; nihilominus in omni parte ecclesiae audiri poterat.» Res ex historia Hiberniae depromptas vivide exponebat atque ad conclusionem practicam ducebat. Quamvis esset potius gravis et serius, tamen etiam dulci facetiarum genere uti poterat.

Aequalem exitum felicem cum parvulis consequabatur; quos picturis magnis instruere solebat, exhibentibus nunc infantem in statu gratiae, nunc in statu peccati, animam ante et post confessionem..., quae figurae profunde mentes puerorum puellarumque affecerunt; qui quidem postea, etiam ad mortui corpus in ecclesia expositum numerosi advolarunt, quamquam parvuli cadavera horrere solent.

Alterius quoque sodalis testimonium hic adiungere placet. «P. Hall erat missionarius perfectus. Id solum in eo minus laudandum, quod difficulter finem dicendi facere poterat; quia in praedicando tantus erat fervor, ut non posset audire vel saltem plene advertere tintinnabulum, quod ad concludendum monebat. Quae difficultas ei multas humiliationes severas inflixit, sed, qua erat virtute, semper desiderabat trans limites paenitentiae a Superiore impositae progredi.»

P. Hall non solum erat praedicator insignis, sed etiam confessor sedulus. Non excipiebat quidem permultas confessiones, sed hae fere semper in missionibus erant confessiones generales, et quidquid faciebat, optime facere studebat, ita ut non esset necessarium aliquam emendationem addere; tametsi propter aegritudinem chronicam (post a. 1870 enim denuo valetudine infirma utebatur) continenter audire confessiones missionales ei procul dubio erat valde difficile.

Domi quoque enixe operabatur; nam in bibliotheca nostra Dundalchiensi habemus 50 volumina eius manu scripta, continentia contiones et instructiones pro missionibus, conferentias pro clericis, sermones de Iesu Christo et Beata Maria Virgine, vitas breves aliquorum qui in Congregatione mortui sunt, poemata quoque.

In eadem domo Dundalk P. Hall d. 28 Oct. 1897 sanctissime mortuus est. Tum quaedam ephemeris cogitationes omnium his verbis declaravit: « In permultis locis Hibernicis atque etiam transmarinis, quando annuntiabitur Patrem Hall, missionarium sanctum et eloquentem, mortuum esse, multi moerore afficientur. Hodie et per multos annos subsequentes in parocciis, ubi missiones dedit, ipse in memoriam veniet illorum, qui consolationem et pacem per eum receperunt. »

Inter innumerabilia igitur beneficia, ob quae oportet gratias reddere Dominae Nostrae de Perpetuo Succursu, haud minimum est illud, quod a. 1866 miraculose servavit vitam eius, qui ope missionum permultas animas erat salvaturus.